



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de**

**Romæ, M. DCC. XIX.**

Casus Unicus. Argumentum. Si plures Patroni præsentaverint ad Beneficium sit nulla, adeout literæ Apostolicæ impetrationis obtentæ sub expressione; quod Beneficium tanto tempore vacaverit, ut ejus ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72172)



## ARGUMENTUM:

Si plures Patroni præsentaverint ad Beneficium per sortem, an præsentatio sit nulla, adeò ut literæ Apostolicæ impetrationis obtentæ sub expressione; quod Beneficium tanto tempore vacaverit, ut ejus collatio ad Sedem Apostolicam legitimè sit devoluta, eo quia Patroni non præsentarunt in tempore, sint exequendæ.

## SUMMARIUM.

- 1 Literæ Apostolicæ non justificatæ executionem non merentur.
- 2 Devolutio admittitur ad supplendam negligentiam Patronorum, & aliorum inferiorum collatorum.
- 3 Per clausulas generales non censetur derogatum juripatronatus laicali:
- 4 Electio Ecclesiastica an fieri possit per sortes, & num. 11.
- 5 Literæ Apostolicæ in omnibus justificatæ sunt exequendæ.
- 6 Prohibitum est Patronis actum præsentationis, aut nominationis explere per sortes.
- 7 Textus in cap. final. de fortileg. locum etiam habet in præsentatione.
- 8 Non præsentantibus, aut nulliter præsentantibus Patronis in tempore beneficium impetrari potest à Sede Apostolica jure devoluto; etiam non expectato semestri Episcopo competente. & num. 9.
- 10 Papa in quibus casibus derogare solet Patronatibus laicalibus?

## CASUS UNICUS.

Tenentur quamplures Patroni laici ex lege foundationis unitim, & per modum Collegii præsentare ad beneficium patronale A, Personam idoneam, & habilem; vacato nuper beneficio, Patroni posuerunt in urna nomina non nullorum Clericorum, & habuerunt pro præsentato illum Clericum, cujus nomen fuit per sortem extractum; cui denegata fuit institutio ab Ordinario. E contra quidam Sacerdos impetravit idem bene-

ficiam à Summo Pontifice, cum expressione quod illud tanto tempore vacaverit, ut ejus collatio ad Sedem Apostolicam legitimè sit devoluta, eo quia Patroni non præsentarunt in tempore. Quæritur an hujusmodi literæ sint exequendæ?

- 1 Respondendum videtur hujusmodi literas Apostolicas, utpote non justificatas executionem non mereri ad *Text. in cap. 2. de Rescript. Rot. in Dertusen. beneficii 29. Aprilis 1710. §. Cum enim coram R. P. D. Lancetta, & in Caputaquen. Capellania 27. Junii 1718. §. Executioni cor. R. P. D. de Herrera.*

Defectus autem justificationis dictarum literarum ex eo resultare dignoscitur, quia illæ impetratæ apparent, cum supposito quod beneficium tanto tempore vacaverit, ut ejus provisio sit devoluta ad Sedem Apostolicam, eo, quia Patroni non præsentarunt in tempore; quod sanè suppositum corrumpit ex ipsa præsentatione facta à Patronis intrà quadrimestre, quæ sicuti excludit in illis negligentiam præsentandi, ita quoque cessare facit devolutionem, quæ non nisi ad supplendam negligentiam Patronorum, aut aliorum inferiorum collatorum admittitur. *Cap. Licet de supplen. neglig. Prælat. Abb. in cap. 2. num. 7. de concess. præbend. Lotter. de re benef. lib. 2. quest. 24. num. 1. Rot. decis. 392. num. 3. & seqq. coram Celso.*

- 2
- 3 Fortius eadem literæ non essent exequendæ, si non fuisset expressè derogatum juripatronatus eorundem Patronorum, sed solum in illis fuisset dictum; ad cujuscumque collationem, seu præsentationem, beneficium pertineat; quia per hanc clausulam non censeretur derogatum eidem juripatronatus, cum sub quibuscumque clausulis generalibus, licet effranatis, nunquam veniant Patronatus laicales; *Covarruv. practic. quest. cap. 36. num. 2. vers. Quod autem, Lotter. de re benef. lib. 4. quest. 10. nu. 77. & 83. & alii apud Rot. decis. 44. num. 8. post Antonell. de jurib. & onerib. Cleric.*

- 4 Non officit Textus in cap. final. de fortileg. ubi prohibetur electio Ecclesiastica fieri per sortes; quia in primis Textus loquitur de electione, deinde etiam omisso, quod hanc quoque comprehendat, tamen non videtur omninò prohibitum eligere, & præsentare per sortem, ut patet

ex



ex pluribus auctoritatibus, & exemplis congestis à *Gonzal in dicto cap. final. nu. 5. 10. & seq.*

5 At his minimè obstantibus censeo supradictas literas, cum sint in omnibus justificatæ, esse exequendas ad *Text. in cap. si quando, & cap. super literis de Rescript. Rot. in Vicen. Parochialis 12. Junii 1711. S. Cum enim coram Eminentissimo Molines, & in Lauretana juris patronatus 11. Decembris 1716. S. Cum enim coram R. P. D. Crispo.*

De justificatione verò literarum Apostolicarum in casu præfenti, ambigi nequit, quia præsentatio facta à supradictis Patronis est nulla; Etenim prohibitum est Patronis actum præsentationis, vel nominationis expleri per sortes, juxta *Text. in cap. final. de sortilegiis*, quem sequuntur *Gonzal. ibi num. 6. & seq. Rot. decis. 459. num. 24. par. 19. res.* qui licet loquatur de electione, locum etiam habet in præsentatione. *Rot. in Majoricen. beneficii 25. Junii 1699. S. Urgentius cor. R. P. D. Ansaldo, & novissimè in Pampilonen. beneficii de Yrun. 23. Januar. 1719. z. Nullitas coram. R. P. D. Lancetta inferius inter decisiones additionales impressa.*

8 Unde cum perinde sit non præsentare, ac nulliter præsentare, & cum intrà terminum juris à sacris Canonibus ad præsentandum Patronis concessum, isti ad nullam aliam præsentationem devenerint, validè proinde potuit controversum beneficium jure devoluto impetrari à S. Sede juxta dispositionem hujus Canonis, eò quia Patroni non præsentarunt in tempore; non expectato etiam graduali ordine per Concilium Lateranense statuto in

9 *cap. 2. S. Cum verò de concess. præben. Cum possit Papa in jure devoluto non expectato semestri Episcopo competenti liberè conferre, Ordinarium collatorem præveniendò. Garz. de benef. par. 10. cap. 3. n. 30. Tondut. qu. benef. par. 2. cap. 3. §. 4. nu. 15. & seqq. Rot. in Osnaburgen. Canonicatus 10. Decemb. 1714, S. Itidemque, & 14. Junii 1715. S. Prima siquidem coram R. P. D.*

10 *Crispo.* Derogando expressè juripatronatus dictorum Patronorum, prout solet Patronatibus laicalibus derogare non solum in isto casu, ubi beneficium tanto tempore vacavit, ut ejus collatio ad Sedem Apostolicam legitimè sit devoluta, eo quia Patroni non præsentarunt in tempore, sed etiam in aliis casibus; & quidem aliquando in totum, & aliquando in partem; In totum nempe, si beneficium vacat in Curia, vel super illo pendet lis in Curia; in partem, quando quis præsentatus est à majori parte, vel à medietate Patronorum. *Rot. decis. 44. num. 8. post Antonell. de jurib. & onerib. Cleric.*

11 Minimè attentis juribus, & exemplis per *Gonzal. ubi supra* congestis; illa siquidem fortasse procedere possunt circa officia civilia, & res prophanas, non verò in materia Ecclesiastica, & in beneficiis Ecclesiasticis, ut bene respondet *Rota in dicta Majoricen. beneficii 15. Junii 1699. S. Siquidem, & S. At in materia cor. R. P. D. Ansaldo.*

Et hæc omnia sufficiant ad majorem Sanctissimæ Trinitatis, Deiparæque Virginis gloriam, ac Seraphici S. Francisci laudem, per quæ si nec uni utilis fuero; mihi tamen maximè profui, dum per ea otium malorum omnium originem fugavi.

F I N I S.